

1. De odio Variationis. R. S. Müller. R. J. B. Redel.
2. De Spurio. H. S. Rossmannow.
3. De Principe legibus soluto. R. G. A. Struv. R. J. J. Hertel.
4. De Patriotes. R. A. C. Romyn. R. P. J. Gallor ab Hollenfli.
5. De murmuratione praescriptionem impediente.
6. R. J. F. Schneider. R. L. C. Luedcke.
7. De militia lecta provinciali. R. J. S. Stryck. R. J. C. Abben.
8. De investigando contractib[us] et actionib[us] ex  
contractib[us] iure, verbis, vel litteris initis.  
R. S. Stryck. R. J. C. Abben.
9. De Crimine gratiae. R. J. F. Schneider. R. J. G. Luedcke.
10. De Testimonio Principis. R. Idem. R. A. F. Bode.
11. De Unitate Patris et filii. R. Samuel van Laher.
12. De usu practico doctrinac. difficillimae Iuris Rom.  
de culparum præstatione. R. C. Thomasing. R. C. V. v. S.
13. Paradoxon proiure retractandi transactorem, novis  
instrumentis repertis ad l. 35 ff. de re iud. et l. 49 ac 29.  
C. de Transact. R. T. P. Ludwig. R. B. B. Hoelder.
14. De vinculo matrimonii, ob legem astringatis turpi vel  
honesto. R. A. Goetsche. R. J. C. Schönberg.
15. De Coelibatu poenae nomine imposito. R. F. Ludovici.  
R. S. P. Faeser.
16. De Propinquorum in sponsalib[us] consensu necessarie  
R. H. C. Perdewiz. R. J. C. Truel.
17. De Statu Imperii Rom. R. W. Beckmann. R. J. G. Klein.
18. De Iure ceremoniali circa Legatos. R. J. Brunnenman.  
R. J. P. Faeser.
19. De Restitutio in integrum ob metum. R. G. Mencke.  
R. J. F. Hoockner
20. De eo quod iustum est circa pactum executivum  
ductu R. C. Siegeln. et hypoth. R. G. Barth. R. J. G. Dusseldorf.

21. De Carcere et causis uis et abusus in causis criminibus  
natis ad Sit Sand. et ad de Custod. et exhibit. Reor.  
R. W. T. Martini. R. C. Keilpfleg.
22. De juribus impuwerum singularibus R. H. Linck.
23. Acquisitionem derivative de dominio facto Hominis.  
R. G. Schilterg. R. P. Graff.
24. De Legitimatione. R. F. Beissler. R. Joachim von Dale. (Manuscript)
25. De Contractu aestimatio brio. R. B. L. Schwendendorfer. R. F. Schiller.
26. De Commendatione. R. A. B. Carpou. R. C. E. Lange.
27. De jure miserabilium. R. G. A. Stuv. R. J. G. Albing.
28. In in causa religionis. cripta Anonyma aut Pseudonyma  
sunt probanda aut toleranda R. S. Evenig. R. C. Pyrlaeg.
29. De Antichrifi. R. C. Möschel. R. C. L. Bechich.
30. De Jurisdictione feudali Dominica. R. B. L. Schwendendorfer.  
R. G. Wickmanshausen.
31. De Concilii. R. G. T. Meier. R. J. P. Schachtrup.
32. De Matrimonio. R. G. Schilter. R. J. G. Neukirch.
33. De benedictione Sacerdotali. R. F. Wörger.
34. De Injustia hominis circa animam. R. J. G. Simon. R. D. Mepper.
35. De hominis morte se sultura prohibita. R. H. B. Lotz.  
R. P. Eschenbach.
36. De sire necessitate. R. J. Eisenhardt. R. G. Lengerke.
37. De Testamentis. R. Engelbrecht. R. A. Nardini.
38. De extraordinario Rémedio Restitutionis in integrū.  
R. C. F. Schröder. R. A. Klinger.
39. De Privilegiis. R. B. L. Schwendendorfer. R. C. C. Seligmann.
40. Lis Deliberandi. R. J. C. Falckner. R. A. Lanovig.
41. De Privilégis Mulierum. R. J. V. Peckman. R. J. D. Feyerabend.
42. De Advocatorum inabilitate. R. J. D. Friesen. R. M. V. Götz.
43. De litis contestatione. R. A. Peier. R. J. S. Gimmermann.
44. De Retentione. R. B. L. Schwendendorfer. R. G. C. Reinkausen.

45. De Privilegio P.B.L. Schwendendorffer. R. J. d. Ettendorff.  
46. De Iure Justinianaci receptione. P. H. Lincke R. J. von Bonn.  
47. De Donatione remuneratoria, atque obligatione Antidorali.  
R. P. U. Lümelin  
48. De Donationibz. R. J. G. Simon R. G. Borrmann.  
49. De in p[ro]s]ecutione, seu c[on]cratione. P. B. L. Schwendendorff.  
R. P. C. Ulrich  
50. De literis natalit[er]is. P. H. Lincke. R. L. C. Tham.  
51. De Contractibz. Princeps. P. G. H. Frave. R. J. Förster.  
52. Iura potiorum. P. J. G. Simon. R. J. D. Marl.  
53. De Iure viarum publicar[um]. P. C. Ziegler. R. C. A. Siegleder.  
54. De Lib. 1. f. 1. z. unacum Historia f[ra]u. P. J. Klein. R. H. Sprengel.  
55. De Dominatu Brit[ann]icis Rom. P. M. N. Braun. R. J. C. Tebel.  
56. De Vectigalibz. P. H. Conring. R. J. Thomas.

Iam albd.  
fol

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> JURIDICA  
DE  
**COELIBATU**  
**POENÆ NOMINE**  
**IMPOSITO,**

QUAM

*Favente Divina Gratia*

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

**DN. FRIDERICO WIL-  
HELMO,**

REGNI BORUSSIÆ, ELECTORATUS BRANDEN-  
BURGICI ET PROVINCiarum HEREDE,  
&c. &c.

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

**JAC. FRIDERICO LUDOVICI,**

J. U. D. & Profess. Publ. Extr.

Placido Eruditorum Examini submittit

**SIMON PETRUS Basser/**

Colbergâ Pomeranus.

*Ad diem XXIX. Novembr. MDCC III. H. L. Z. C.*

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typogr. 1703.

14.

DISSESSATIO IURIDICA  
DE CORPUS LARTA

COLENTIBA TU  
POENE NOMINE  
IMPOSITO

DN. FRIDERICO ALI.

RECTOR MAGNIFICENTISSIMO  
SERVANDO PERNIGAE AE DOMINA

IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA

HAC FRIDERICO IUDICACI

LI D. & P. P. P. P. EXC.

SIMON PETRUS

CHRISTIAN. ANDREE. SEITLER. V. 1600.

141



B. C. D.

DISSERTATIO JURIDICA  
De  
COELIBATU POENÆ NOMINE  
IMPOSITO.

CONTENTA TOTIUS DISSERTATIONIS.

**D**ifferentia contractus matrimonialis à contractibus reliquis in cō-  
precipue consistit, quod regulariter indissolubilis sit ille §. I. Idem  
juxta mores nostros de solis sponsalibus affirmandum, non autem  
juxta iuris divinum, quod ostenditur & ad dubia respondeatur §. II.  
Sunt nihilominus tamen certi casus, quibus & matrimonium juxta  
divinum & sponsalia juxta humanum jus iterum dissolvi possunt,  
§. III. Parti nocenti cō casu certe pena dictari solent, inter  
quas pena cælibatus etiam deprebenditur §. IV. Origo hujus pa-  
ne ex jure canonico & textus eō pertinentes §. V. & VI. Obje-  
ctio: penam hanc in praxi adhuc receptionem esse & sic de ejus justi-  
tia frustra disputari; que refellitur, §. VII. Formatur status con-  
troversie, & buc in adducto quodam casu non rite observasse Cy-  
prœnum, ostenditur §. VIII. Penna cælibatus iniquitate laborat  
§. IX. Ratio hujus assertioñis ex principiis moralibus & materia  
de imputatione morali desumpta, §. X. XI. & XII. Illustratur illa  
ex jure Romano §. XIII. Respondeatur ad ea, que ex hoc ipso  
jure Romano in contrarium moveri poterant §. XIV. Promisso  
Uxoris defuncto marito facta, quod ad secundas nuptias transire  
nolit,

## DISSERT. DE COELIBATU POENÆ

nolit, irrita est & invalida §. XV. Pœna celibatus ex eodem fundamento impugnari potest §. XVI. Quod precipue exinde demonstratur, quia necessariam utplurimum peccandi occasionem condemnato suppeditat §. XVII. Illustratur thesis abduc ulterius ex iis, que à Theologis alias contra vota monastica & in specie contra Votum castitatis adferri solent §. XVIII. Transitus ad refutationem eorum, que pro defendenda juris Canonici dispositione communiter adferri solent. Verba Mevii & Lutheri §. XX. Responso §. XXI. Rationes Carpzovii cum responsionibus succinctius §. XXII. XXIII. XXIV. XXV. & XXVI. Rationes Canonista rum ex 1. Corintb. 7. v. 7. nec non Matth. 19. v. 9. §. XXVII. & XXVIII. De questione: urum dispositio juris Canonici in praxi obtingeat? §. XXIX. Formula pronunciandi ex Cypreto §. XXX. In judicio Ecclesiasticis Protestantum pœna celibatus cum certa limitatione saltē imponitur §. XXXI. Quam tamen limitatio nem totam regulam evertere ostenditur §. XXXII. Conceduntur in praxi etiam nocenti nova nuptiæ, ita tamen ut illa regulariter ex provincia excedat §. XXXIII. & XXXIV. Remittitur relegatio, modò pars nocens certam multitudinem persolvat §. XXXV. Presertim si nonnullæ circumstantie condemnatum quodammodo excusantes concurrant §. XXXVI. Conclusio totius dissertationis §. XXXVII.

### §. I.



Ontractum matrimonii à reliquis contractibus, qui pro objecto rem in commercio existentem habent, in plurimis recedere, nemo, ut persuasi sumus, inficias ire poterit. Unum nobis pro ratione instituti tetigisse sufficiat, quod quamvis alias à conventionibus rite initis utriusque partis dissensu iterum recedere liceat, §. fin. 3. quib. mod. toll. oblig. Deus tamen ter O. M. eos, qui præcedente legitimo consensu

IN NOMINÉ IMPOSITO.

5

sensu in unitatem carnis semel transierunt, ab illa iterum recedere in S. Scriptura expressè prohibuerit, *Mattb. 1. v.  
6. § 9.* Unde Imperator in §. 1. q. de patr. potest. nuptias recte describit, quod sint viri & mulieris conjunctio, *individuum* vitæ consuefudinem continens.

§. II.

Quin Sponsalibus de præsenti idem prædicatum *indissolubilitatis* (mutuo licet dissensu accedente) tribui possit, itidem extra dubium est, si ad Leges humanas monesque nostros respicias. Ast verò de jure divino contrarium verius esse videtur. *In Quamvis enim DD. communiter & inter eos in specie Carpzoviis in Jurispr. Eccles. lib. 2. Def. 132. n. 8. Def. 172.* & pasim alibi prohibitionem mutui dissensus etiam hac parte ex dicto Salvatoris: *Quos Deus coniunxit, homo ne separet,* deducere nitatur; contextus tamen *Mattb. 19.* & verba in vers. 5. & 6. immediate antecedentia: *E erunt duo in carne una.* Itaq; jam non sunt duo, sed una caro; quod ergo Deus coniunxit &c. aperte ostendunt, Salvatorem non de matrimonio inchoato, id est, de sponsalibus, sed de plene consummato per copulam carnalem locutum esse. Ex quo in contrarium firmiter inferimus, quod sponsalia & matrimonia, quatenus Leges divinæ in Specie de iis nihil peculiare disponunt, ex natura reliquarum conventionum, in quibus mutuus dissensus permittitur, dijudicari debeant, & quod exceptio quoad matrimonium consummatum dictam regulam de mutuo dissensu firmet in casibus non exceptis, id est, pro ratione præsentis controversiæ in sponsalibus, pure etiam & de præsenti celebratis. Non obstat, quod tamen in sponsalibus (utinam semper verè fieret!) nomen divinum invocetur; nam & talis invocatio in contractibus fit. Licet verò deinde à contractibus recedatur, non tamen

A 3

propter

6 DISSERT. DE COELIBATU POENÆ  
propterea nomen divinum ludibrio habetur, modò ab  
initio seria contrahendi intentio adfuerit, hæc enim siab-  
est, tunc demum in vanum sumitur nomen divinum.

§. III.

Interim, quamvis juxta adducta nec ab ipso matri-  
monio propter divinas, nec à sponsalibus propter huma-  
nas Leges privatâ autoritate & utriusque contrahentium  
consensu resilire liceat; dantur tamen nihilominus casus,  
quibus hoc ipsum autoritate Magistratus accidente & in-  
vitâ etiam altera parte permittitur. De numero illorum  
casuum & annon præter eos, qui hodie recepti, alii ad-  
huc à Principibus Evangelicis admitti possint, in præsenti  
non disputabimus, (videri potest de hac re Joh. Strauchi-  
us *instit. jur. publ. lib. I. tit. 35. §. 3.*) sed supponimus, quod  
divortium propriè sic dictum in Consistoriis nostris ob du-  
as solummodo causas, adulterium scilicet & malitiosam  
desertionem; repudium autem toties demùm permittatur,  
quoties animi despontatorum, vel utriusque, vel alterutrius  
saltem, ita ab invicem sunt alienati, ut nullis suasionibus  
aliisque prudentibus remediis conciliari iterum possint, v.  
Mevius P. 6. Dec. 229. 226.

§. IV.

Ex hisce suppositis porrò facilè consequitur, omnem  
illum, qui facto suo illico divortio aut repudio causam  
præbet, pœna condigna adficiendum esse. De pœnis  
criminalibus corporis afflictiviis & pecuniariis, nunc qui-  
dem non erimus solliciti, cùm limites instituti nostri illæ  
transgrediantur, ex qua eadem ratione quoque de reme-  
diis, quæ privatam partis læsæ satisfactionem respiciunt,  
non disquiremus; illud unicum ergò nobis in præsenti ob-  
jectum differendi erit, ut nempe de hypothesi Scriptorum  
juris ecclesiastici dispiciamus, quando statuunt, *parti no-*  
*centi,*

NOMINE IMPOSITO.

centi, quæ vel sponsam, vel uxorem deserit, vel adulterium committit, supplici loco & per modum gravioris pœna injungendum esse, ut vitam cœlibem agat & aliam sibi conditionem iterum non quarat, vid. Carpzov. d. l. 2, def. 136. num. 5. & Def. 191. n. 1, seqq. it. lib 3. Dœfin. 71. n. 9, 10. II.

S. V.

Origo hujus pœnae cœlibatus, ut multa alia in jure nostro Ecclesiastico, ex juris Canonici placitis derivanda est. Textus hoc præ aliis faciens est in cap. 12. X. de Præsumt. ubi Papa Alexander III. Literis, inquit, fraternitatis tuae receptis nobis innotuit, quod cum P. ab A. muliere, quam in uxorem accepérat, peteret separari, accusatores matrimonii produxerunt testes firmiter afferentes, quod postquam mulier cum predicto viro contraxerat matrimonium, consanguineum Viri ejusdem solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto jacentem, eà (ut credebant) intentione, ut eam cognosceret carnaliter, viderunt, multis locis secretis & latebris ad hoc commodis & boris electis: Consul. tua taliter respondemus, quod ex hujusmodi violenta & certa suspicione fornicationis potest sententia divorciï promulgari: ita quidem, ut vir licentiam habeat, mortua illa ducendi aliam, muliere sine fpe conjugii remanente.

S. VI.

Hic textui ex decretalibus duo alii ex Decreto de sumti adhuc superaddi possunt. Primus est in c. 23, caus. 37. qu. 7. Concubisti cum sorore Uxor tue? si fecisti, neutram habeas: & si illa, qua Uxor tua fuerit, conscientia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino, cui velit. Tu autem & adultera sine fpe conjugii permaneat & quādiu vixeritis, juxta præceptum Sacerdotis pœnitentiam agite. Alter habetur in c. sequ. 24. d. caus. 37. qu. 7. Si quis cum novera sua dormierit, neuter ad conjugium potest pervenire.



8 DISSERT. DE COELIBATU POENÆ

pervenire, sed vir ejus potest, si vult, aliam accipere, si se  
continere non potest. Similiter si quis cum filiastra sua, vel  
cum sorore uxoris sue dormierit, observandum est.

§. VII.

Habes textus ex jure Canonico, quos in præsenti  
nobis examinando sumsimus. Ubi quidem ab initio ob-  
jici possèt, dispositionem in illis textibus contentam juxta  
testimonium plerorumque scriptorum apud Evangelicos  
etiam in foro adhucdum observari, unde opera huic no-  
stro examini impensa frustanea nonnullis videri poterat;  
interim tam a cum nos pro ratione hujus nostri instituti  
Judicis officio non fungamur, quippe ad quem solum per-  
tinet vulgatum illud: non esse de Legibus, sed secundum  
eas judicandum, & contrario autem in cathedra de qualita-  
te Legum quoque disputare non sit prohibitum; hinc vi-  
tio nobis nemo vertere poterit, quod cogitationes occa-  
sione adlatorum textuum nobis subnatas cum benevolo  
Lectore pro libertate Academica communicare non dubi-  
taverimus. Quid? quod & infra simus demonstratur,  
dispositionem juris Canonici revera nullum usum in praxi  
habere, si res penitus inspiciatur.

§. VIII.

Cum verò non solum adducti juris Canonici textus,  
sed & DD. in universum omnes semper ad casum repudii  
atque divorcii respiciant & præterea inter partem nocen-  
tem & innocentem distinguant, priori saltem pœnam coe-  
libatus injungentes, hinc nescio, quid in mentem venerit  
Paulo Cypræo, ut in tr. de connub. jur. cap. 10. §. 22. hunc  
casum tanquam dubium proponeret: *Utrum virgo compref-  
sa & à Viro, qui juramento se purgavit, quod fidem non der-  
erit, relicta, innupta sedere, an vero aliam conditionem sibi  
quarere debeat?* Aut enim masculus ille, de quo quæritur,  
revera

## NOMINE IMPOSITO.

revera fidem non dedit foeminæ, quod eam in matrimonium ducere velit, & sic non adest casus repudii; aut verò spem matrimonii fecit & sic pejeravit, de quo casu solum loquitur Cypræus, & tunc rectè dicit, quod perjurus ille non aliter ac adulter, desertor, vel etiam mortuus censendus sit, cui mulier quoque amplius obstricta non est, ideoque, ut verba Cypræi mea faciam, scilicet ab eo rectè segregare potest eumque Dei judicio & vindicta committere cum hac exprobratione:

*Si tu oblitus es, at Deus meminerit, meminerit fides,*

*Quæ te ut paeniteat postmodo facti faciet tui.*

Sed nihil dubii hic subest, cum foemina hac ratione pro parte innocentē haberi debeat.

## §. IX.

Maneamus ergo in terminis sub initium §. preced. indigitatis, supponentes, cœlibatum pœna nomine illis saltem imponi, qui factis suis illicitis repudio vel divortio causam præbent. Quæritur autem: an juxta genuina juris principia hoc fieri queat? Evidem Celeberrimus JCTus, David Mevius P. 6. Dec. 359. n. 7. jam confessus est, *valde duram esse hanc pœnam & talem, quæ grave jugum infert*, unde porrò subjungit: *cautum debere esse Judicem, ut non temere, nec promiscue pœnam addat interdicti, quia non tam facile illa aut servatur, aut remittitur, quam irrogatur;* verum nobis adhuc ulterius procedendum & hoc afferendum esse videtur, quod nempe dispositio juris Canonici talem pœnam dictitans, aperta iniquitate laborebat.

## §. X.

Hanc nostram assertionem ut demonstremus, ad materiam de imputatione morali recurrendum est. Quotiescumque enim Legislator aliquid alicui per modum pœnae interdit, toties actus interdictus ita comparatus sit

10. DISSERT. DE COELIBATU POENÆ  
necessum est, ut delinquens facultate libera polleat, actum-  
illum prohibitum vel expediendi, vel etiam omittendi.  
Quod si verò delinquens circa talem actum dicta libertate  
non gaudeat, tunc sua sponte etiam consequitur, Legisla-  
torem rectè non facere, si illum per modum pœnæ & co-  
ercitionis interdicat. Dua scilicet præcipue Legum dicuntur  
esse virtutes, præcipere & vetare, (permisio juris huc  
non pertinet;) quæ quamvis quoad affirmationem & ne-  
gationem sibi è diametro opponantur, in eo tamen, ni-  
fallor, convenient, quod quemadmodum præcipi neque-  
unt, quæ extra nostram potestatem posita: ita quoque  
prohiberi nullò modō possint, quorum intuitu quò fiant, aut  
non fiant, facultas disponendi arbitrio nostro relicta non est,

§. XI.

Propius ad rem veniamus. Est principium sanæ ra-  
tionis ipsi etiam divina revelationi non repugnans, *impu-  
tari non posse homini actiones & effectus facultatum vegetabi-  
lium, que in ipsis corpore deprehenduntur, prout ista per na-  
tivitatem, aut ex causis ab ipso non dependentibus existunt;*  
de quo fuis agit Pufendorff. de J. N. & G. l. I. cap. 5. §. 7.  
Hæc enim si imputarentur, impossibile quid in classem im-  
putationis referretur, quod tamen absurdum foret. Sic  
cui natura corpus vegetum, robustum, procerum dedit,  
ipso eō nomine nihil imputari, aut quò minus tale habeat,  
injungi potest. Unde si in aliqua lege, ut & conventione  
aut testamento, tale quid occurrat, id pro non adjecto  
haberi debet, aut commodior, (si modo fieri potest,) e-  
jus invenienda interpretatio, vid. Pufendorff. cit. loc. §. 8.

§. XII.

Facultas autem & inclinatio ad generandum, nisi  
me omnia fallunt, ad actiones & effectus facultatum vege-  
tabilium referenda erit. Unde, quamvis Legislator hanc  
facul-

## NOMINE IMPOSITO.

facultatem generandi ita circumscribere possit, ne vago modo & ad exemplum bestiarum in actum deducatur, quod ipse Deus, Legislator sanctissimus, in verbo suo fecit; homo tamen leges condens tam absoluta potestate non pollet, ut dictam facultatem in totum & ex omni parte tollere plane & interdicere possit. A restrictione enim, quæ hic juris ipsius divini est, ad omnimodam prohibitionem, quam canones ab hominib⁹ profecti intendunt, non valet consequentia.

## §. XIII.

Leges Romanæ, quas in Germaria recepimus, nostram confirmant sententiam & ea, quæ paulò ante ex Pufendorffio adduximus. Ita enim Julianus in l. 22. ff. de cond. & demonstr. Quoties, inquit, sub conditione mulieri legatur, si non nupserit, & ejusdem fideicommissum sit, ut Titio restituat, si nubat: commodè statuitur, & si nupserit, legatum eam petere posse, & non esse cogendam, fideicommissum prestare. Ita Terentius Clemens in l. 62. §. 2. d. t. respondet: Cum vir uxori, si à liberis ne nupserit, in annos singulos aliquid legavit, quid juris sit? Julianus respondit, posse mulierem nubere & legatum capere. Adde l. 63. §. 1. & l. 72. §. 5. d. t. Struy. S. I. C. Ex. 35. th. 97.

## §. XIV.

Non obstat, quod tamen Imp. Justinianus in Nov. 22. c. 43 & 44. disposuerit, quod vidua contra Legem viduitatis ipsi à Marito in testamento datam ad secunda vota transiens, emolummentum sub hac lege ipsi relictum amittat; distinguendum enim est, an quis viduitatem simplicitet injungat, an vero lucrum aliquod ob viduitatem non servatam auferat. Posterius tolerari potest, quia ad impossibile non adstringit, secus in priori. Eadem ratione dispositio l. 62. §. 2. in f. ff. de cond. & demonstr. excusari

## DISSERT. DE COELIBATU POENÆ

potest, ubi ita: *Quod si ita scriptum esset, si à liberis im-  
puberibus ne nupserit, legem [puto Julianam & Pappiam, ut  
indicat inscriptio legis, v. Gothofr. ad l.64. d. t.] locum non  
habere, quia magis cura liberorum, quam viduitas injungere-  
tur; hic enim cœlibatus ad tempus saltem, quō liberi pu-  
bertatem adepti fuerint, idque iterum non simpliciter, sed  
solummodo sub comminatione amisionis lucri injunctus  
erat, at canones simpliciter & in perpetuum cœlibatum  
poenæ nomine dictitant.*

### §. XV.

Hæc de materia *testamentorum*. Sed quid si Uxor ma-  
rito per modum pacti promississet, quod ad secunda vota tran-  
fire nolit? placet responsonem verbis Carpzovii, contra  
quem deinde disputabimus, exprimere, qui *Jurisprud. Ec-  
cles. l. 2. Def. 172.* ita de hac re loquitur: *Tanta quorundam  
est insania, ut quam potestatem habent de bonis & facultati-  
bus suis licetè disponendi, conjugique ac liberis imperandi, eam  
post obitum etiam illicite exercere presumant, parum curantes,  
quid pium sit & honestum, quidque voluntati divine ac summo  
rerum & naturæ moderatori placeat & conveniat.* Ex quo-  
rum sunt catalogo, qui conjugibus nuptiis secundis interdicunt,  
aut blanditiis ac persuasionibus promissionem de vitandis nu-  
ptiis secundis extorquere laborant. Et deinde per integr. defin.  
tale pactum contra bonos mores & honestatem, nec non  
contra legem divinam [quaæ nullam legem cœlibatus de-  
derit, ib. n. 13.] impingere, imo cum periculo animæ &  
corporis conjunctum esse fusè ostendit.

### §. XVI.

At, inquis, maxima est differentia inter hosce casus,  
quando nempe cœlibatus in *testamento* vel per *pactum à pri-  
vatis*, & quando è contrario per modum poenæ à *Canonibus*  
imponitur, in priori scilicet casu nullum delictum adeſt  
tan-

## NOMINE MPOSITO.

tanquam causa impositionis, benè tamen in posteriori, & sic ab illo ad hunc validè inferri nequit. Concedo illam differentiam quam lubentissimè. Sed convenient tamen etiam duo illi casus in eo, quod caput rei est & ad scopum nostrum principaliter spectat. Quemadmodum enim testamentum & pactum mihi cum effectu aliquid impōnere non potest, quod arbitrio meo subjectum non est: ita quoque prohibitio legis, qua mihi tale quid auferit per modum pœnæ, quod tamen, ut omittatur, in mea potestate non deprehenditur, aperta iniquitate laborare videatur. Talis autem est prohibitio juris Canonici.

## §. XVII.

Accedit, quod dicta prohibitio necessariam ut plurimum peccandi occasionem suppeditet condemnato. Quanvis enim dentur homines, qui propter temperamentii qualitatem ad aëtus venereo minus inclinant, rariores tamen hi, ni fallor, erunt & plurimi unctionibus frequentioribus exagitantur. Quomodo autem extinguere poterit ejusmodi unctiones ille, cui cœlibatus per modum pœnæ injunctus? an per legitimū matrimonium? sed hoc ipsi est interdictum. Sine dubio ergo de mediis illicitis clamculum sollicitus erit, v. omnino Carpzov. I. prox. cit. n. 15. § 17. ubi sententiam Consistorii supremi Dresdensis subjicit, verb. Die weil aber diese ihrem Manne beschene Buzage eine Withe zu bleiben/ nicht allein unbedachtsam/ weil außer der Ehe mit unverlegtem Gewissen zu leben in ihrer Macht nicht steht/ als welches vor eine sonderbare Gabe Gottes zu halten &c. Non video itaque, quâ ratione illa matrimonii prohibitio ad species medicinae moralis (ita enim salutantur pœnæ) referri possit. Scio quidem, quod nonnullorum Moralistarum est effatum, in omnibus pœnis emendationem delinquentis non intendi,

**M** DISSE<sup>R</sup>T. DE COELIBATU POENÆ  
aut obtineri posse; sed ad minimum tamen, puto, poena ita  
comparata esse debet, ne ad nova delicta viam pandat &  
sic delinquentem adhuc magis in sensu morali necessariò  
corrumpat.

§. XVIII.

Disputant alias, uti notum est, Theologi Protestantes  
quam acerrimè contra vota monastica Pontificiis usitata &  
in specie contra votum *castritatis*. *Talia vota*, inquit Fri-  
der. Balduinus *de cas.* consc. lib. 2. c. 8. cas. 7. facienda non  
sunt, que ordinem Dei convellunt, vel corpus aut animam la-  
dunt, vel occasionem peccandi præbent, v. Chemnit. in exam.  
Concil. Trident. tit. de Cœlibatu Sacerdot. cap. 9. Gerhard. in  
loc. de conjug. c. 10. se<sup>c</sup>t. 1. aliquie plures apud Brunnenm.  
zur. Eccles. 1. 2. c. 7. ibid. in addit. illusfr. Strykii. Non du-  
bito autem, quin ea omnia majori adhuc jure prohibiti-  
onи canonum de non ineundis nuptiis per modum poenæ  
factæ opponi possint. Recte fecisset Papa, si scortationem  
aliosque foedos concubitus interdixisset ei, qui causam di-  
vortio præbuit, sed non recte fecit, quando ipsum matri-  
monium interdixit. Apostolus pronunciat i. Corinth. 7. v. 9.  
melius esse nubere, quam uriri: Canones contra: melius esse  
uri, quam nubere, afferunt, ut saltem poenæ ab iis exco-  
gitatæ satisfiat,

§. XIX.

Demonstravimus hactenus, ut speramus, ex genuinis  
fundamentis, quod prohibitio matrimonii per modum  
poenæ facta iniustitate laboret. De rationibus ergo, quæ  
pro defensione illius prætensæ poenæ adduci possint, jam  
sollicitos esse nos oportebit, & quidem illas potissimum ex-  
aminabimus, quæ à nonnullis Scriptoribus Protestantib<sup>g</sup> hac  
parte adducuntur, quod enim Pontificios attinet, mirandum  
adeò non est, eos illiusmodi cœlibatum à delinquentib<sup>g</sup> ex-  
gisse,

## NOMINE IMPOSITO.

15

gisse, quia illi in reliquis etiam satisfactionibus, immo in ipso cultu divino animum sapere non respiciunt, sed in opere operato externo nude & unicè acquiescent.

### §. XX.

Mevius, Jctus celebratissimus, quamvis pœnam cœlibatus admodum odiosis exornaverit encomiis, prout supra §. IX. ejus verba retulimus, nihilominus d. P. 6. Dec. 359. num. 1. hisce formalibus utitur: *In judiciis Ecclesiasticis moris esse, cum dissolvuntur sponsalia, interdici impostorum nuptias.* Addit in notis: *sequi Ecclesias Evangelicae Religioni addictas in eo sententiam Lutheri, qui ad coercendam repudiorum temeritatem hoc interdictum (nuptiarum scilicet) pius, utile, & necessarium statuit, uti ex ejus scriptis refert Cypræus de sponsal. c. 12. §. 6. num. 3.* Ad Cypræum quoque provocat Carpzov. *Jurispr. Eccles. l. 2. def. 136. num. 6.* ipse autem Cypræus hæc verba Lutheri (absque allegatione tamen loci Scriptorum Lutheri) refert: *Welche nach öffentlichem Verlobniß zu seinem Gemahl nicht will / soll ohne Ehe bleiben. Item: Wenn zwey miteinander verlobt seyn / und es bey derselben Verlobniß bleibt / daß keins das ander sein lebenlang kan verlassen.* Priora tamen verba hoc propriè saltem pertinere videntur.

### §. XXI.

Rationem hic nondum videre possumus, ergo etiam response opus non est, præsertim cum Mevius d. l. n. 4. & 5. iterum fateatur, eoque ipso non obscurè confirmet, quæ hactenus adduximus, *iugum, quod quis ferre aptus non est, non esse imponendum, nec occasionem gravioribus malis dandam.* Item: *In hac specie præprimis, ubi conscientia imminent laquei, abstinendum ab onere insupportabili infligendo.* Unde adhuc remanet quæstio præjudicialis: an hoc pius, utile & necessarium sit, ut præcise cœlibatus per modum pœnae

16 DISSERT. DE COELIBATU POENÆ  
poenæ injungatur illi, qui repudio vel divortio causam in-  
juste dedit.

§. XXII.

Prodeant ergo ipsa rationes, quibus dispositionem  
juris Canonici defendere nituntur DD. Cypræus loc. ant. cit.  
hanc profert: Altera, inquit, pœna hæc erit, ut aliam sibi  
conditionem querere prohibeatur, qui sponsam vel conjugem  
volens deseruit: ideoque illa viva alteri conjungi nequeat.  
Nam cum semel fide data sponsus factus sit, alterius sponsus  
esse non potest. Ideoq; & vitam cælibem agere cogetur, quod  
& ipsum satis supplicii est. Medius terminus, ut vides, Cy-  
præ hic est: Qui semel fide data sponsus factus est, is alte-  
rius sponsus esse non potest. Quid si ego subsumerem:  
atqui Cajus semel fide data sponsus primæ uxoris quon-  
dam factus est, ergo post mortem illius alterius fœminæ  
sponsus esse non potest? Si dicis: hoc post mortem fieri  
quidem posse, sed non vivente prima uxore; tunc ego re-  
gero, idem etiam post divortium fieri posse, quod vincu-  
lum conjugale non minus ac ipsa mors dirimit. Ceterum  
concedimus Cypræo, satis esse supplicii, si quis vitam cælib-  
em agere cogitur; sed utrum hoc supplicium regulis justi  
conveniat, de eo adhuc sub judice lis est.

§. XXIII.

Huic unico eique tam lubrico fundamento thesin su-  
am superstruxit Cypræus. Veniat nunc illi in auxilium Carp-  
zovius, tribus argumentis instructus. Ita autem incipit in  
Jur. Eccles. lib. 3. def. 71. num. 6. Non immerito indignus ju-  
dicatur novo conjugio, qui divinam ordinationem semel tam-  
nefarie violavit, malitiose conjugem priorem deserendo. A-  
liter enim si diceremus verendum, ne criminibus per indulgen-  
tiam novarum nuptiarum incentivum prebeatur. Et absurdum  
foret, partem nocentem commodum sentire ex suo delicto.

§. XXIV.

## NOMINE IMPOSITO.

17

## §. XXIV.

Proemium hujus argumenti ejusdem tenoris esse videtur, ac si quis diceret: *Eum, qui semel contractum aliquem violavit, in posterum plane non esse admittendum, ut alium contractum celebret, quia non immerito indignus judicatur novo contractu, qui divinum jussum de servandis contractibus semel tam nefarie violavit, malitiose à priori contractu recedendo.* Quis verò non rideret hanc lepidam illationem? Nemo etiam sanæ mentis homo vereri potest, ne criminibus per indulgentiam novarum nuptiarum incentivum præbeatur; sed hoc potius & juste quidem verendum est, ne criminibus per prohibitionem aliarum nuptiarum incentivum præbeatur, prout anteā deduximus. Puniatur delinquens poena pecuniaria, carcere, aut alio modo, & nullum incentivum criminum juste verendum erit. Quod si verò delinquens spreta hac poena præter culpam Judicis peccare pergit, iterum etiam poena condigna adficiatur & Judex officio suo satisfecit. Sed, instat Carpzovius, ita pars nocens commodum sentit ex suo delicto, si aliæ nuptiæ ei conceduntur, quod tamen absurditatem involvit; verum enim verò cum desertor malitiosus, vel adulter, poenam facto suo congruentem sustinere necessum habuerit, non video, qua ratione facultas transeundi ad alias nuptias pro commodo ex delicto profluente venditari possit. Vix enim aliquid pro commodo ex facto profluente habetur, quoties ipsum factum rigidis poenis à Judice coercetur.

## §. XXV.

Pergimus cum Carpzovio ad secundam rationem, quam d. l. num. 7. his verbis concepit: *ac quo jure in thorum conjugalem collocabitur, qui ob violationem conjugii excusare deberet, quo remisso, ulterior ei gratia hand facienda, ne duplex venia concedatur duog concurrant singularia circa unum*

C

subje-

## 18 DISSERT. DE COELIBATU POENÆ

subjectum, contra sanctionem juris, l. 1. C. de dñis promiss. l. 19.  
ff. ex quib. caus. major. l. 8. § 3. ff. de legat. præf. Camill. Borell.  
Cons. 64. n. 12. Frid. Pruckmann Vol. 1. Cons. 10. num. 60. Didac.  
Covarruv. l. 3. var. resol. l. 19. n. 1. Vincent. Capoc. de locat.  
tit. de SS. Eccles. n. 3. Hic primò notandum, rationem ad-  
latam non esse universalem, cum in omnibus provinciis &  
locis Germaniae relegatio adulteris dictari non soleat, v. g.  
juxta ius Lubecense, quo in casu duplicati etiam adulterii  
prima vice poena saltē pecuniaria, secunda autem impos-  
itio cippi dictatur, v. Mev. ad ius Lubec. lib. 4. tit. 6. art. 2.  
& 3. Deinde erroneè supponitur, ac si adultero vel de-  
sertori eo ipso, dum alia nuptia permittuntur, gratias fiat,  
quia nos supra probavimus, Legislatorem potestatem nu-  
bendi eidem auferre non posse, unde quod necessario jux-  
ta æquitatis rationem concedi debet, hoc pro gratia repu-  
tari nequit. Ex quo simul appetit, quod concessio alia-  
rum nuptiarum non sit aliquid singulare, & quod proinde,  
quamvis in locis, ubi poena relegationis alias obtinet, ea  
remittatur, simulque parti nocenti facultas alias nuptias  
celebrandi concedatur, duo tamen singularia circa unum  
subjectum non concurrant.

## §. XXVI.

Pergit ulterius num. 9. Cumq. factō diuertio ex causa a-  
dulterii novas inire nuptias prohibitum sit parti nocenti, (in  
quem finem textus canonici à nobis jam supra §. V.  
& VI. recensitos allegat,) cur non idem obtineret in diuertio  
ex causa malitiosa desertionis, quippe que adulterio equipara-  
tur, Henning. Arnisæus de jur. connub. c. 6. secl. 7. Schnei-  
dewin ad tit. J. de nupt. rubr. de Diuertio. Verum cum  
nos antea ostenderimus, poenam cœlibatus generaliter &  
sic eo etiam casu, quando diuertium ex causa adulterii  
factum, iniquitate laborare; hinc quemadmodum antece-  
dens

## NOMINE IMPOSITO.

19

dens in adlatō argumento vacillat, ita quoq; consequens,  
quod ex illo deducitur, vacillet necessum est.

### S. XXVII.

Haec sunt levia illa dubia, quæ contra thesin à nobis  
defensam communiter adduci consueverunt, quæ si majo-  
ris ponderis fuissent, longiorem etiam refutationem postu-  
lassent. Audiamus duo alia, quæ à Canonistis vul-  
go adduci consueverunt, eum quidem in finem, ut exin-  
de evincant, quod & pars innocens æque ac nocens ab ul-  
terioribus nuptiis abstinere debeat, v. Bellarminus de ma-  
trim. cap. 14. Primum desumunt ex 1. Corinθ. 7. v. 7. ubi di-  
cit Apostolus, quod *Uxor, si se separaverit, aut viro recon-  
ciliari, aut calebs manere debeat;* Sed respondetur, totum  
contextum ostendere, quod Apostolus non de separatione  
autoritate judicis ex causa jure divino approbata facta, sed  
de ea, quam uxor ex privato arbitrio suscepit, loquatur;  
at verò per ejusmodi privatam discessionem non tollitur  
vinculum conjugale, ergò sine dubio etiam uxor, quæ  
discessit, ad aliud matrimonium provolare non potest, v.  
Gerhard. in loc. de Conjug. n. 587. Beza in annot. ad d. c. 7. v.  
7. Ep. 1. ad Corinθ. Carpzov. Prax. Crim. qu. 63. num. 32. seqq.  
Schneidewin ad tit. 7. de nupt. rubr. de divorcio n. 44. Nos  
verò in præsenti eum casum semper ante oculos habemus,  
quando divorcium legitimo modo petitur & obtinetur, &  
sic vinculum conjugale intuitu utriusq; partis, nocentis &  
innocentis, penitus dissolvitur.

### S. XXIX.

Secundum argumentum exinde petunt, quoniam Christus Matth. 19. v. 9. eum *mæchari dicit, qui Uxorem dimissam  
duxerit.* Sed incivile est, nisi tota Lege perspecta aliqua  
eius particula proposita judicare & respondere velle. Lega-  
tur integer v. 9. qui ita sonat: *Dico autem vobis, quicunque*

C 2

dimi-

20 DISSERT. DE COELIBATU POENÆ

dimitserit uxorem suam, nisi ob scortationem, & aliam duxerit, moechatur: & qui dimissam duxerit, moechatur. Integro itaq; versiculo perfecto non opus est, ut fusè respondeamus, quilibet enim primo statim intuitu advertit, quod restrictio: nisi ob scortationem, quæ in verbis immediate antecedenti- bus habebatur, hic quoq; repetenda sit. Et ergo sensus Christi hic est: Quicunq; uxorem juxta morem Judæo- rum pristinum, (de quo tunc disputabat Salvator) ex qua- cunq; causa, excepta fornicatione, dimittit & aliam dicit, ille moechatur, quia dimissio non est licita, & qui di- missam dicit, ille moechatur, quia talis uxor dimissa vin- culo matrimoniali nondum est soluta. E contrario autem? Si quis uxorem propter causam fornicationis dimittit & al- teram dicit, ille non moechatur, & qui tales mulierem dimissam dicit, ille etiam non moechatur, quia per forni- cationem uxoris vinculum conjugale dissolvitur & sic di- missio licita est.

§. XXIX.

Existimamus jam, solidam rationem non superesse, ex qua dispositio juris Canonici sustineri queat. Transeamus ergo ad usum judiciorum nostrorum Ecclesiasticorum, & videamus, utrum ille cum iure Canonico conveniat. Af- firmant communiter, vide quæ supra attulimus ex Mevio §. IX. adde Cypræum de jur. Connub. c. 12. num. 3. aliosque; Nobis autem contraria sententia & quod in effectu judicia nostra à dicto jure recedant, meliori jure defendi posse videtur.

§. XXX.

Graviter quidem obstare ab initio videtur, quod pœ- na coelibatus communiter adhuc sententiis Consistorialibus inseri soleat. Formulam enim pronunciandi tales refert Cypræus d. l. n. 7. Hat Claus N. sich mit gedachter Jung- frau Elisabeth mit beyderseits Freundschaft Wissen öffentlich verlobt/

NOMINE IMPOSITO.

21

verlobt/ ob Er dann woll vier Tage hernach der Jungfrauen  
solch Verlobniß absagen lassen/ mit Vorwendung/ daß Er  
ihr also gram worden/ daß Er sie keines weges zu ehelichen  
gedachte/ und wie ihn die weltliche Obrigkeit derhalben vor-  
beschelden/ ist Er auf solcher Meynung nun fast zwey Jahr  
verharret/ und der Jungfrauen keine Schuld oder etwas unz-  
eheliches anmaßen können; So mag doch derhalben solch öff-  
fentlich Ehe-Gelübde nicht hinterzogen werden/ sondern es  
wird der Geselle Claus N. durch gebührliche Mittel des  
Rechtes/ als Gefängniß und dergleichen/ solch Ehe-Ges-  
lübde mit Christlichem Kirchgang und ehelichen Beplager zu  
vollenziehen billig compelliret und angewiesen; (utrum be-  
nē, an male, de eo in præsenti non disputamus,) da Er az-  
ber über solchen angewendeten Fleiß dazu nicht zu bringen/  
oder Er sich derowegen flüchtig machen würde/ so würde Er  
auff vorhergehenden billigen Proces/ als mutwilliger De-  
sertor und Verlosser seiner Vertranten billig erkandt und  
derwegen von der weltlichen Obrigkeit in gebührliche Straf-  
fe/ Verweisung oder dergleichen/ genommen/ und ihm bey  
leben gemeldeter Jungfrauen Elisabeth sich mit einer an-  
dern zu verehelichen nicht gestattet; Und auf solchen Fall/  
da sie/ die Jungfrau ohne Gefahr ihres Gewissens außer  
dem Ehestande sich nicht enthalten könnte/ dazu sie doch mit  
Fleiß zu vermahnen/ so wird ihr/ sich mit einem andern in E-  
hestand zu begeben/ billig nachgelassen/ V. N. W.

§. XXXI.

Sed salva nihilominus res est. Magna enim adhuc  
inter dispositionem juris Canonici & praxin judiciorum E-  
vangelicorum deprehenditur differentia. Textus squidem  
juris Canonici, quos supra §. V. & VI. recensuimus, parti  
nocenti poenam coelibatus indistincte imponunt, nec un-  
quam ei licentiam transeundi ad alias nuptias concedunt;

C 3

sed

22 DISSERT. DE COELIBATU POENÆ

sed in judiciis Ecclesiasticis dicta coelibatus poena cum hac limitatione saltem imponitur, nisi pars nocens donum continentie non habeat, v. Schilter. instit. jur. Canon. l. 2. Tit. 12. §. 8.

§. XXXII.

Si hic in parenthesi nostram sententiam subjungere licet, illa limitatio nullius planè momenti esse videtur, sed idem est, ac si parti nocenti facultas novas ineundi nuptias simpliciter permitteretur. Quilibet enim, cui in coelibatu permanere non placet, hac excusatione uti poterit, se dono continentiae destitutum esse. Nec est, ut is, qui tale quid prætendit, ad onus probandi adstringatur, vel juramentum hoc nomine ipsi imponatur; cum enim Theologici pariter & alii in ea sint opinione, & rectè quidem, continentiam peculiare donum divinum esse, & viribus naturalibus illud conciliari non posse, ejusmodi peculiaria autem ad minimum in foro juridico non præsumuntur; hinc sine dubio præsumtio hæc pro eo, qui ad alias nuptias adspirat, militans, ab onere probandi ipsum penitus liberabit.

§. XXXIII.

Sed revertamur ad praxin judiciorum nostrorum Ecclesiasticorum, prout stylo communis salutantur. Hac scilicet methodo uti consueverunt, ut parti nocenti ad novas nuptias adspiranti illæ quidem concedi soleant, ita tamen ut ex Provincia exeat. Fundamentum processus ex consensu Lutheri iterum petere solent, qui in lib. de vit. conjug. tom. 2. Jen. Germ. fol. 166. his verbis utitur: Fragstu / wo das andere ( pars scilicet nocens) bleiben soll / Wenn es vielleicht auch nicht kan Reuefheit halten? Antwort: Darumb hat Gott im Geseze ( sed in Lege forensi Judæorum saltem ) geboten/ die Ehebrecher zu Steinigen/ daß sie dieser Frage nicht diirften/ also soll auch noch das weltliche Schwerd und Obrigkeit die Ehebrecher tödten: Wo aber die Obrigkeit

keit

NOMINE IMPOSITO. DISSECT. 23

keit sāmig und nachlässig ist/ und nicht tödtet/ mag sich der  
Ehebrecher in ein ander fern Land machen/ und freyen/ wo  
Er sich nicht halten kan/ aber es wäre besser/ todt mit ihnen/  
umb böses Exemplis willen/ &c.

§. XXXIV.

Modum procedendi paulò distinctius describit Carpz.  
Jurispr. Eccles. l. 2. Def. 191. n. 8. seqq. Tentanda primò, inquir,  
reconciliatio est, cuius si spes aliqua supereft, nocenti ad alias  
convolare nuptias neutiquam concedatur. (Rectè, sed tunc di-  
vortium nondum est factum, & sic ille casus hoc non per-  
tinet.) Secundo, pergit, graviter pars nocens monenda, ut de-  
lictum suum agnoscat, laboribus & jejunis concupiscentias car-  
nales reprimat, seque indignam judicet, cui novi matrimonii  
potestas detur. (Hoc quoq; monitum ferè sine effectu erit,  
quamvis enim se indignum novo matrimonio agnosceret  
pars nocens, proptereà tamen continentiam non statim  
consequetur.) Cavendum porrò, addit, ne propria autorita-  
te persona nocens ad novum transeat conjugum, sed Consisto-  
rii seu Magistratus Ecclesiastici consensum prius expetat. (Hoc  
ad solennia solum pertinet, si enim quis constanter afferat,  
se donum continentiae non habere, Judex Ecclesiasticus  
consensum denegare non poterit. Dicis; eum inquirere  
debere, an donum continentiae adsit, annon; Respondeo,  
hæc ad interna pertinere, & per rerum naturam inquisiti-  
onem institui non posse, sed assertioni petentis credendum  
esse.) Ac si, concludit, omnino conscientia ejus in cœlibatu  
periclitetur, novum conjugium hac demum conditione conces-  
atur, ut pars nocens se dem fortunarum ac domicilii mutet, atq;  
ed se conserat, ubi ejus turpitudo non innotuit.

§. XXXV.

Imò interdum quoq; relegatio remittitur, modo pars  
nocens multam luat pecuniariam & nuptia absq; pompa cele-  
brentur

24 DISSERT. DE COELIB. POEN. NOM. IMPOS.

brentur, Id, cit. loc. inf. Joh. Gerhard in loc. de Conjug. §. 622.  
Huc spectat Rescriptum Electorale Saxonicum apud Carpz.  
d. l. n. 12. So können Wir : : geschehen lassen/ daß sie ges  
gen Erlegung 50. Rthlr. in unsern Kirchen-Kästen allhie  
mit Christoph S. sich anderweit verehlichen/ und die Ehe  
ohn alles Gepränge/ auch an keinem andern Orth/ als auf  
ihrem Guthe zu S. vollziehen möge. Und begehrten hie-  
mit gnädigst/ Ihr wollet die Supplicantin darauff bescheiden  
auch auss gedachten Fall berührte 50. Rthlr. von ihy einbrin-  
gen und anhero in Unser Ober-Consistorium übersenden.

§. XXXVI.

Fit hoc eò magis, quando certæ circumstantiæ concurrunt, quæ  
præcedens delictum quodammodo excusat, de qua materia adhuc  
adscribere lubet verba ejusdem Carpzovii lib. 3. def. 71. num. 12. seqq.  
Facultatem tamen, inquit, quandoque dari videmus parti etiam no-  
centi, ut novum contrahat conjugium, ex speciali nimirum Magistra-  
tus Ecclesiastici dispensatione, que si justa & probabili ratione sit fulta,  
omnino licita habetur: Fieri enim potest, ut quis in minorenitate  
deliquerit, ad frugem meliorem pervenerit & poenituerit, aut in coe-  
libatu salva & illæsa conscientia vivere nequeat. Nunquam non cir-  
cumstantiis hisce probi perpenitus licet dispensari quivis facile concesserit,  
vel salem ex perpetua veritatis regula Apostolica: Si se non continent,  
nubant, & satius est, boneſto coniugio quem devinciri, quam scortati-  
onibus & adulteriis libere indulgere, Gerhard, d. §. 622.

§. XXXVII.

Hæc ultima verba adducta si quis probè consideret, non so-  
lum deprehendet, ea vix cohærente cum iis, quæ ab eorum Autore  
alias ad defendendam juris Canonici dispositionem adlata & à nobis  
supra §. XXIV. & XXV. recensita ac refutata fuerunt; sed cogno-  
scet simul, quod poena cœlibatus ex jure Canonico originem suam  
ducens revera in judiciis Protestantium non obtineat, quia limita-  
tio: nisi donum continentie non habeat pars nocens, totam regulam  
prohibitionis penitus evertit. Ethoc est, quod nos demonstrare  
velle supra §. XXIX. promittebamus.

F I N I S.






AB: 152953.



Vd 17





DISSESSATIO JURIDICA  
DE  
**COELIBATU  
POENÆ NOMINE  
IMPOSITO,**  
QUAM  
*Favente Divina Gratia*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
**DN. FRIDERICO WIL-  
HELMO,**  
REGNI BORUSSIAE, ELECTORATUS BRANDEN-  
BURGICI ET PROVINCiarum HEREDE,  
&c. &c.  
IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA,  
PRÆSIDE  
**JAC. FRIDERICO LUDOVICI,**  
J. U. D. & Profess. Publ. Extr.  
Placido Eruditorum Examini submittit  
**SIMON PETRUS Basser,**  
Colbergâ Pomeranus.  
Ad diem XXIX. Novembr. MDCC III. H. L. Q. C.  
HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typogr. 1703.

14.